



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

444

250  
BX890  
B383  
v.2

## OPERA OMNIA

### CONTROVERSIARUM

### DE SUMMO PONTIFICE

### LIBER TERTIUS

#### UBI DE ANTICHRISTO.

##### CAPUT I.

Proponitur disputatio de Anticristo.

Demonstravimus hactenus Romanum Pontificem Petro succedere in summo totius Ecclesiae principatu. Restat ut videamus, num aliquo tempore Romanus Pontifex ab isto gradu excederit; id enim adversari contendunt, non esse hoc tempore Romae verum Episcopum, quidquid antea fuerit. Et quidem Nilus ad finem libelli sui contra primum Romanum Pontificis ita loquitur: « Sed summa caputque mei sermonis illa sit, donec Papa in Ecclesia convenientem, celestem, olimque institutum ordinem servat: donec veritatem coelestem tenet ac tueretur; et donec Christo summo veroque Ecclesiae Domino et Capiti adhaeret, facile patiar, eum et Caput Ecclesie esse et summum Sacerdotem, et Petri, veletiam si libet, omnium Apostolorum successorem esse, omnes ei obedire, ac nihil id quod ad ejus honorem perfinet diminui: sed si a veritate discessit, nec eam redire vult, merito pro damnato rejectoque haberet debet. » Haec ille.

Sed debuisse ostendere, in quos errores inciderint Roman Pontifices, et quando, et a quibus damnati fuerint: sciimus enim in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III, et Lugdunensi sub Gregorio X, et Florentino sub Eugenio IV, Gracos erroris convictos ad ymitem Latinorum rediisse, ac deinde ad vomitum suum semper esse re-

versos, ac propterea a Deo gravissime punitos: Latinos autem ad Fidem Graecorum venisse nusquam legimus. Nec ullum profecti potest Ecclesiasticum iudicium contra Latinos, ut nos proferimus multa contra Graecos.

Jam vero Calvinus lib. IV Inst. cap. 7, §. 23: « Sint, inquit, vera illa omnia, que tamen illis jam extorsimus, Petrum voce Christi constitutum fuisse universe Ecclesia Caput, ipsumque honorem sibi collatum in Romana Sede deposuisse, id veteris Ecclesie auctoritate fuisse sanctum, longo usu confirmatum, Romano Pontifici summam potestatem fuisse semper ab omnibus debitam, ipsumque fuisse omnium et causarum et hominum judicem, nullius iudicio subiectum fuisse; habeant etiam plura si velint. Respondeo tamen uno verbo, nihil istorum valere, nisi Romæ sit Ecclesia et Episcopus. » Et infra, §. 24: « Hunc nodum mihi solvant Romanenses: nego ipsorum Pontificem esse Episcoporum Principem, cum non sit Episcopus. » Et infra: « Fuerit sane olim Roma omnium Ecclesiarum mater; verum ex quo Antichristi sedes fieri copit, desit esse id quod erat. » Et infra §. 25: « Videtur nonnullis nimis maledici ac petulantibus, cum Romanum Pontificem vocamus Antichristum: sed qui hoc sentiunt non intelligunt, se Paulum immodestiae insimulare, post quem nos loquimur, immo ex cuius ore sic loquimur. Ac ne quis objiciat nos Pauli verba, que alio pertinente, perperam torquere in Romanum Pontificem, breviter ostendam, non alter quam de Papatu intelligi posse. » Haec ille.

Similia docent omnes haeretici hujus temporis; ac praecipue Lutherus in Supputat.

007340

temp. et in Assert. art. 28 et 36, et alibi passim. Item Magdeburgenses Centur. I, lib. II, cap. 4, col. 434, et sequ., et in omnibus seq. Centur. cap. 4, 7 et 10. Illyricus in lib. de prim. David Chytraeus in cap. 9 et 13. Apocal. Item Wolfgangus Musculus in loc. commun. tit. de Eccles. Theodorus Beza in Com. II. Thessal. II. Theodorus Bibliander in Chron. tabul. 10, 11, 12, 13, et 14. Henricus Pantaleon in Chronol. Henricus Bullingerius prefat, in suis hom. ad Apocal. et ante hos omnes Joannes Wiclef art. 30. inter eos qui damnantur in Concilio Constantiensis, ses. 8. Pontificem esse Antichristum pronuntiavit.

Ut igitur questio haec diligenter expliceatur, novem capita tractanda erunt. Primum de ipso nomine Antichristi. 2. An Antichristus sit unus homo, an genus hominum. 3. De tempore adventus et mortis ejus. 4. De nomine ejus proprio. 5. Ex qua Gente nasciturus sit, et a quibus praecipue suscipiendus. 6. Ubi sedem suam fixurus. 7. De doctrina et moribus ejus. 8. De miraculis ejus. 9. De regno et praeliis ejus. Ex his omnibus clarissime apparebit, quanta impudentia hereticorum Pontificem Romanum Antichristum faciunt, quibus ademus caput, quo probabimus, Romanum Pontificem non solum non esse Antichristum, sed nec ullo modo desisse esse Episcopum et Pastorem totius Ecclesie, ut nihil remaneat non dilatum ex objectionibus Calvinii.

Quod ad primum attinet, aliqui ex adversariis docent, nomen Antichristi propriè significare Christi Vicarium : ac proinde Papam qui se Christi Vicarium asserit, ipsum esse Antichristum. Ita docet Wolfgangus Musculus in loc. cap. de pot. ministr. et probat, quia illa vox *ārti* significat Vice, unde *ārtixpator*, et vice Christi : sicut *ārtixpator* significat eum, qui pro Duce se obtrudit, id est, qui Vicarius Dux vult haberi. Magdeburgenses etiam Centur. I, lib. II, cap. 4, col. 433, docent, Papam ideo verum esse Antichristum, quia se Christi Vicarium facit.

At sine dubio falluntur, vel fallere conantur. Nomen enim Antichristi non potest ullo modo significare Vicarium Christi, sed solum aliquem Christo contrarium, et contrarium non quomodo cumque, sed ita, ut cum eo de Sede et dignitate Christi certet, id est, qui

sit simulus Christi, et velit haberri Christus, dejecto eo qui vere est Christus.

Hanc esse huius nominis significationem, probatur tripliciter. Primo, quia apud Graecos illa vox *ārti*, propriè significat oppositionem, et quoniam opponi dicuntur non solum ea quae pugnant inter se; sed etiam ea, que aequivalent, inde factum est, ut *ārti* in compositione interdum significet contrarietatem, interdum aequivaluentiam, nunquam autem subordinationem, ut patet in exemplis omnium talium nominum, *ārtixpator*, significat simulum in lueta; *ārtixpator*, contrarium remedium, *ārtixpator*, aequivalentem, *ārtibos*, aequalem Deo; *ārtixpator*, est pollex, quia e regione opponitur, et aequivalent toti reliqua manni, et sic de ceteris. Vicarius autem non significat oppositionem, sed subordinationem ad aliud; et ideo non potest exprimi per vocem *ārti*.

Porro illud *ārtixpator*, non significat Vicarium Ducis, sed ordinarie contrarium Ducem; sicut *ārtixpator*: est bellum infero, et interdum eum qui est loco Ducis, non ut illi subjectus, sed ut *āqualis*; quomodo apud Latinos Proprator, vel Proconsul non significat Vicarium Praetoris, vel Consulis, sed eum qui est in aliqua provincia id quod est Praetor, vel Consul in urbe: et in hoc deceptus est Musculus; quia enim legit apud Budaeum *ārtixpator*: significare Propratorem, putavit ipse, significare Vicarium Praetoris, quod est falsum.

Secundo idem probatur ex Scriptura. Nam etiamsi hoc nomen esset ex se ambiguum, tamen ut in Scripturis accipitur non est ambiguum, et nostra questio non debet esse de voce *ārtixpator* absolute, sed ut in Scripturis accipitur: porro in Scripturis Antichristus dicitur is, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, II ad Thessal. II, (1) quod certe non est esse Vicarium, sed hostem Christi veri Dei. Et I. Jo. II. Antichristus dicitur esse is, qui negat Jesum esse Christum (2), id est, qui negat Jesum esse Christum, ut ipsum pro Christo vendit. Et Matth. XXIV. Antichristus dicitur affirmaturus, se ipsum esse Christum, quod sane non est Vicarii sed simul.

Denique tertio, ex omnibus auctoribus qui de Antichristo scriperunt, et ex communi sensu omnium Christianorum, qui per Anti-

(1) II. Thessal. II, 4. — (2) I. Joan. II, 22.

christum intelligunt eximium quemdam Pseudochristum. Quomodo etiam exponit hanec vocem ex veteribus Graecis, Damascenus lib. IV de Fid. cap. 28, et eodem modo exponit Hieronymus ex Latinis, qui tamen etiam Graeca lingua peritissimus fuit, quae 11. ad Algasiam.

Denique, similiter exponit in suo Thesauro lingue Graeca Henricus Stephanus, qui tamen unus est de numero haereticorum Genesivum. Hinc habemus argumentum primum contraadversarios. Nam cum Antichristi nomen significet hostem et simulum Christi, et Romanus Pontifex se Christi famulum, et Christo subiectum in omnibus fateatur, non autem Christum se ullo modo esse dicat, neque illi se parem faciat; manifestum est, eum non esse Antichristum.

## CAPUT II.

*Antichristum certum quemdam hominem futurum,*

Jam quod ad secundum attinet, nos cum adversariis in uno convenimus, in altero discrepamus. Convenimus in eo, quod sicut nomen Christi accipitur dupliceiter, interdum proprie pro quadam eximio et singulari Christo, qui est Jesus Nazarenus: interdum communiter pro his omnibus, qui habent cum Christo similitudinem quantum ad unctiōnem, quomodo Prophetæ, et Reges et Sacerdotes omnes dicuntur Christi, Psal. CIV. *Nolite tangere Christos meos* (1); ita etiam nomen Antichristi interdum accipi propriè pro quadam eximio Christi hoste, de quo agitur II. ad Thessal. II. Jo. V, et alibi: interdum vero communiter pro omnibus qui quoquo modo Christum oppugnant. Nam I. Jo. II, legimus: *Audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt* (2), id est, andistis venturum Antichristum, et nunc licet ille singularis Antichristus nondum venerit, tamen multi seductores jam venerunt, qui etiam Antichristi dici possunt.

At dissensimus de Antichristo propriè dicto, an ille sit unus homo singularis. Catholici enim omnes ita sentiunt, fore Antichris-

tum unum quemdam hominem; ut haeretici omnes supra citati docent, Antichristum proprie dictum non esse singularem personam, sed singularem thronum, sive Regnum tyranicum, ac sedem apostaticam eorum qui Ecclesia president.

Magdeburgenses Cent. I. lib. II. cap. 4, col. 433: « Docent Apostoli, inquit, Antichristum non fore unam tantum personam, sed integrum regnum, per falsos Doctores in templo Dei, id est, in Ecclesia Dei presidentes, in urbe magna, id est, in Romana civitate, opera Diaboli, et fraude, ac deceptione comparatum. » Hac illi. Similia sunt apud alios supra citatos.

Rationes eorum haec sunt. Prima, Paulus II. Thes. II. dicit, jam suo tempore copiisse in Mondo versari Antichristum: *Mysterium, inquit, jam operatur iniquitas* (3), et tamen ibidem dicit, Antichristum in fine Mundi a Christo occidendum. Hinc ita concludit Beza in II. Thessal. II: « Manifeste sunt hallucinati, quicunque de uno quoquam homine putarunt hoc intelligi, nisi dent mihi quenquam, qui a Pauli seculo ad diem usque iudicii superest maneat. » Similiter argumentatur Calvinus loc. cit. Confirmatur haec ratio ex Joan. qui in epist. I, cap. IV. dicit: *Omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est* (4).

Secunda ratio Bezae est. Quoniam Daniel cap. VII. singularibus nominibus bestiarum, Ursi, Leonis, Pardi, non intelligit singulares Reges, sed singula Regna, quorum unumquodque multos Reges continet. Igitur eodem modo Paulus II. Thessal. II, qui mire eum Danielli consentit, per hominem peccati et filium perditionis non intelligit unam singularem personam, sed quoddam quasi corpus multorum tyrannorum.

Tertia ratio Calvini est, in cap. II, I. Jo., ubi ait, delirare et sponte errare eos, qui unum certum hominem futurum credunt Antichristum, cum Paulus II. Thessal. II. scripsit, Apostasiam venturam, et ejus caput Antichristum futurum: siquidem Apostasia est generalis quedam defectio a Fide, que quidem unum corpus, et unum Regnum facit, et non est res paucorum amorum, ut sub uno Rege compleri possit.

His non obstantibus, veritas est, Antichristum fore unum singularem hominem: id

(1) Psal. CIV, 15. — (2) I. Joan. II, 18. — (3) II. Thessal. II, 7. — (4) I. Joan. IV, 3.

quod probatur ex omnibus Scripturis et Partibus, qui de Antichristo agunt. Scripturae loca sunt quinque. Primus est in Evang. Jo. V : *Ego veni in nomine Patris mei, et non receperistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis* (1). Hac verba de falsis Prophetis in generali, non de uno aliquo intelligi volunt Musculus et Calvinus apud Marloratum in Com. hujus loci: sed eorum explicatio cum antiquis Patribus et cum ipso textu pugnat. Nam haec verba dicta esse de uno Antichristo, testantur Chrysostomus, et Cyrilus in hunc locum; item Ambrosius in II. Thessal. II. Hieronymus in epist. ad Algasiam, quest. 11. Augustinus tract. 29. in Jo. Irenaeus lib. V, cont. her. Valentini; Theodoretus in Epit. divin. decret. cap. de Antichristo et alii.

Præterea hic Dominus opponit sibi aliud hominem, hoc est, personæ personam, non Regnum Regno, neque sectam sectæ, ut patet ex illis vocibus : *Ego, alius, in nomine meo, in nomine suo, me, illum; sicut ergo Christus unus et singularis homo fuit; ita et Antichristus unus et singolaris homo erit.*

Deinde, Christus hic dicit, Antichristum a Judæis pro Messia recipiendum: constat autem, Judæos unum certum et singularem hominem expectare. Item, omnes falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius, non in nomine suo. Hiere. XIV : *Falso Prophetæ vaticinari in nomine meo, non misi eos etc.* (2) At hic Dominus loquitur de uno quodam, qui veniet in nomine suo, id est, qui non agnoscet Deum aliquem, sed extollet se, ut Paulus ait, *supra omne quod dicitur Deus.*

Denique, falsi Prophetæ permitti venerant ante Christi adventum: permulti etiam postea venturi erant; non igitur Dominus dixisset : *Si alius venerit, sed multi venient, si de falsis Prophetis loqui voluerint.*

Secundus locus est Pauli II. Thess. II: *Nisi venerit discipio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis etc.* Et infra : *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui* (3). Hac verba etiam adversari intelligunt de vero Antichristo, sed Apostolus loquitur de certa quadam et particulari persona, ut patet ex articulis Graeci: *ανολαζόμενος ὁ ἀσθενος τοις ἄρχομένοις τοῖς ανοδείαις.* Et infra : *καὶ τοις ανολαζόμενοι ὁ ἀσθενες;* ut enim docet Epiphanius her. 9. que est Samaritanorum,

articuli Graeci contrahunt significationem ad unam rem certam, ita ut ἀσθενος significet hominem in communi, at ὁ ἀσθενος hominem singularem. Et sane mirum est, nullum adversariorum, qui tamen jactant linguarum peritiam, hoc animadveruisse.

Tertius est I. Joan. II. ubi sic legimus : *ὑπάρχεται ὁ οὐρανος ἐρχεται, και τοις αντίχριστοι τοις λαοις γερουσαι, ubi articulum preponit Antichristi proprie dicto : sim articulo vero effonen nomen Antichristi communiter accepti, apertissime indicans, Antichristum proprie dictum esse unam personam certam Antichristum communiter acceptum, non esse certam personam, sed in genere omnes haereticos.*

Quartus est, Daniel. VII, XI et XII. cap. ubi loquitur de Antichristo, ut docent Hieronymus et Theodoretus in eum locum. Irenaeus lib. V et Augustinus lib. XX de Civit. Dei, cap. 23. et Calvinus, Magdeburgenses, et Beza, ubi supra. Ibi autem Antichristus non vocatur unum Regnum, sed unus quidam Rex, qui ex decem Regibus, quos in Mundi inveniet, tres omnino tollit et medio, et alios septem sibi subjicit. Adde, quod Calvinus dicit, ad litteram Danielem loqui de Antiocho illustri, et allegorice de Antichristo cuius figuram gereal Antiochus: quod etiam docet Cyprianus lib. de exhort. martyr. cap. 11, et Hieronymus in Danielis XI et XII. cap. Sed Antiochus illustris certa quedam persona esse debet.

Quintus et ultimus locus est Apoc. XIII et XVII, que loca intelligi de Antichristo, docet Irenaeus lib. V, et perspicuum est ex similitudine verborum Daniels et Joannis. Utterque enim mentionem facit decem Regum, qui erunt in terra quando veniet Antichristus, et uterque Antichristi regnum tribus annis cum medio duraturum prædict etc. Sicut ergo Daniel de uno certo Rego loquitur, ita et Joannes in Apocalyps.

Idem probatur ex Patribus, qui communis consensu de Antichristo docent. Primo, eum fore instrumentum Diaboli electissimum, ita ut in eo inhabitet omni plenitudo diabolice malitiae corporaliter, sicut in homine Christo, habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Secundo, Antichristum non regnaturum nisi tres annos cum medio; ac proinde docent, Antichristum unum hominem tantum futurum. Vide Irenaeum lib. V

(1) Joan. V, 43. — (2) Jerem. XIV, 14. — (3) II. Thessal. II, 3 et 8.

cir. fin. Cyrrillum Hierosolymitanum catech. 15. Chrysostomum in II. Thessal. II. Theodoretum in cap. VII Danielis; Lactantium in Epit. div. Instit. cap. 11. Ambrosium in cap. XXI Lucea; Hieronymum in cap. VII Danielis, et quest. 11. ad Algasiam : Augustinum lib. XX de Civit. Dic; per multa capita, et in Psal. IX, Gregorium lib. XXXII Moral. cap. 12. Damascenum lib. IV, c. 28. et Hippolytum Martyrem in Orat. de consum. Mundi.

Ad primum argumentum Bezae respondeo: tempore Apostolorum occulæ grassari copisse Antichristum, non in sua persona, sed in suis precursoriis. Sicut enim Christus venire caput ab origine Mundi in Patriarchis et Prophetis, qui eum præcurrebant, et significabant, ita uici possit, a principio Mundi copisse operari mysterium pietatis; et tamen in sua propria persona non venit, nisi quando carnem de B. Maria suscepit: ita Antichristus mox post Christum in coelum assumptus cepit venire in suis precursoriis, et mysterium operari iniquitatis, nimis in haereticis et tyrannis Ecclesiæ consequentibus, ac præcipue in Simone Mago, qui se Christum dicebat, et in Nerone, qui primus Ecclesiæ oppugnare cepit, et nihilominus in propria persona non venit, nisi in fine Mundi. Itaque persecutio spiritualis Simonis Magi, et temporalis Neronis, dicitur mysterium iniquitatis, qui signa erant et figure persecutio Antichristi.

Hanc esse veram loci Paulini explicationem, duplicitate probari potest. Primo, ex omnibus Interpretibus ejus loci : omnes enim per mysterium iniquitatis apud Paulum intelligunt, vel Neronis persecutionem, ut Ambrosius et Chrysostomus in hunc locum, et Hieronymus quest. 11. ad Algasiam: vel haereticos, qui clami deinceps, ut Theodoretus et Sedilius in hunc locum, et Augustinus lib. XX de Civit. Dei, cap. 49. Secundo, ratione desumpta ex confessione adversariorum : illi enim dicunt, Antichristum esse propriæ Sedem Romani Pontificis.

Si ergo Antichristus proprie dictus natus est tempore Apostolorum; sequitur, Petrum et Paulum fuisse proprie dictos Antichristos, licet occulitos : et Neronem, vel Simonem Magum, fuisse verum Christum. Constat enim, tempore Apostolorum non fuisse Romanæ alias Episcopos quam Petrum et Pau-

lum : diserte enim affirmat Irenaeus lib. III, cap. 3. a Petro et Paulo Sedem Romanam fundatam, et primos in ea Episcopos sedisse. Quod idem omnes Veleres docent, quos supra citavimus. Constat etiam, tam Simonem Magum, quam Neronem cum Apostolis Petru et Paulo dimicasse.

Quod si adversarii non placet, Petrum et Paulum fuisse Antichristos, et Simonem et Neronem verum Christum; coguntur facteri, tempore Apostolorum non existisse Antichristum in se, sed solum in suo quodam typo. Ex quo, consequentia Bezae, qua efficiebat, non posse Antichristum esse unum hominem, nisi daremus unum hominem, qui viveret a temporibus Apostolorum usque ad finem Mundi, ridicula esse ostenditur.

Ad confirmationem dico : Joannem loqui eo modo, quo loquitur Dominus de Elia, Matth. XVII : *Elias quidem venturus est, et restituuet omnia : dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum* (1), id est, Elias in sua persona venturus est, sed jam Elias venit in suo simili, id est, in Joanne Baptista.

Ad secundum argumentum, negatur in primis, quod semper Daniel per singulæ bestias intelligit singula regna : nam per unam bestiam interdum significat unum regnum, ut cap. VII, ubi per Leonem intelligit regnum Assyriorum, per Ursum regnum Persarum, per Pardum regnum Graecorum; per aliam bestiam innominata regnum Romanorum : interdum unum Regem, ut cap. VIII, ubi per Arietem intelligit Darium Regem Persarum ultimum; per Hirum Alexandrum Magnum. Deinde, negatur consequentia argumenti. Nam Paulus per *Hominem peccati* non intelligit aliquam ex quatuor bestiis a Daniello descriptis, sed intelligit illud cornu parvulum, quod apud Danieliem prævaluuit decem cornibus quartæ bestiæ, id est, unum illum Regem, qui ex modico adeo crevit, ut omnes alios Reges sibi subjugaverit.

Ad postremum argumentum respondeo multi modis, ut intelligatur quam impudenter scripsit Calvinus eos sponte errare, qui ex illo suo arguento non colligunt, Romanum Pontificem esse Antichristum. Primo, per Apostasiam rectissimam apud Paulum ipse Antichristus intelligi potest : sic

(1) Matth. XVII, 11 et 12.

enim docent communi consensu Græci interpres, Chrysostomus, Theodoreus, Theophylactus, et OEcumenius, et præterea S. August. lib. XX. de Civit. Dei, cap. 49. Dicitur autem Antichristus Apostasia, tum per metonymiam, quia multis causa erit recedendi a Deo: tum etiam per excellētiā quādām, erit enim tam insignis Apostata, ut apostasia ipsa dici posset.

Secundo, per Apostasiam potest accipi defectio a Romano imperio, ut exponunt multi Latifundiorum; ut Ambrosius, Sedulus, et Primasius. Nam, ut in sequ. cap. demonstrabimus, non antea veniet Antichristus, quam omnino interfecerat Romanum Imperium.

Tertio, si admittamus, per Apostasiam intelligi defectionem a vera Christi Fide et religione (ut Calvinus ostendit) non tamen propterea ullis angustiis constringimur. Nam non est necesse, ut Paulus loquatur de Apostasia multorum seculorum; potius enim loqui de Apostasia quadam maxima et singulari, quæ solum erit in illo brevissimo tempore, quo Antichristus regnabit. Atque ita hunc locum intellectum fuisse a multis Veteribus, scribit Augustinus loc. not. hoc est, XX. de Civit. Dei, cap. 49 qui probabilitate docebat, Antichristus apparente, omnes omnino hereticos occultos, seu fictos Christianos ad eum accessuros, et ex eo Apostasiam maximam, qualis antea non fuerat, tunc futuram.

Quarto, si concedamus Calvini, loci B. Pauli de Apostasia multorum seculorum, adhuc nihil ipse obtinebit: siquidem dicere poterimus, eam Apostasiam non necessario ad unum corpus et regnum Antichristi pertinere, nec postulare unum caput, sed esse dispositionem ad regnum Antichristi, et in variis locis, sub variis Regibus, variis occasionibus fieri, ut nunc cornu, defecisse Africam ad Mahometum, Asiae magnam partem ad Nestorium et Eutychetem, aliasque provincias ad alias sectas.

Quinto ac postremo, si daremus Calvini, generalem Apostasiam a Fide, et multis iam annis durantem esse regnum Antichristi; non continuo sequeretur, Papam esse Antichristum: nam adhuc quiescit tractandæ esset, quinam defecerint a Fide et religione Christi; nosne, an illi, id est, Catholici, an Lutherani. Nam etsi dicant ipsi, nos esse qui defecimus, tamen nondum probarunt,

nec ab ullo communi judice id declaratum est.

Et sane multo facilius nos probare possumus Lutheranos esse qui defecerunt, quam ipsi Catholicos defecisse probant. Si quidem eos defecisse ab Ecclesia, in qua prius erant ne ipsi quidem negant. Nam, ut cetera prætermittam, Erasmus Sarcerus in illud II. Thess. II. Tunc revealabitur ille iniquus (1) ingenue confitetur, omnes fere prædecessores Lutheranorum, et se citam aliquando Romanorum Pontificum paruisse. Itaque defecerunt ipsi a prædecessorum suorum Ecclesia et religione: nos vero ab aliqua Ecclesia defecisse, nec haecdemus demonstrarunt, nec unquam demonstrare poterunt. Cum igitur apud Paulum legunt: *Nisi venerit discessio, seu apostasia, et revelatus fuerit ille iniquus etc.* et se cogitant discessisse ab Ecclesia, in qua erant, nos autem in iisdem semper institutis perseverare; mirum est, si non saltem metuant, ne de se ipsis Paulus sit locutus.

Ex hoc II. cap. habemus secundum argumentum ad probandum, Pontificem non esse Antichristum; si enim Antichristus una tantum persona est, Pontifices autem multi fuerunt et erunt, eadem dignitate et potestate prædicti; certe alibi quarendus est Antichristus, quam in Romana Sede.

### CAPUT III.

#### Ostenditur Antichristum nondum venisse.

Quantum ad tertium, de tempore adventus Antichristi, multæ false suspitiones, multæ errores existenterunt, tam Catholicorum, quam haeticorum: sed cum hoc discrimine, quod Catholicæ scientes Antichristum non venturum nisi in fine Mundi, quæ est veritas, erraverunt tamen in eo, quod putaverunt, Mundi finem propinquiore esse, quam revera esset; haeretici autem in eo erant quod existimant, Antichristum venturum diu ante Mundi finem, et jam reiponuisse. Dicamus igitur de utroque errore.

In primis, omnes Veteres animadverentes suorum temporum malitia, suspiciati sunt,

(1) II. Thessal. II. 8.

tempora Antichristi imminere. Ila Thessalonenses, tempore Apostolorum, putabant instare diem Domini, quos Apostolus corrigit, II. Thess. II. Item Cyprianus lib. III. epist. I. «Imminente, inquit, Antichristo patet ad prolium milites etc.» El lib. IV epist. 6. Scire debet, inquit, et pro certo credere ac tenere, pressus diem super caput esse cœpisse, et occasum seculi atque Antichristi tempus appropinquasse.» Hieronymus epist. ad Ageruchiam de Monogamia: «Quid tenebat, de medio fit, et non intelligimus Antichristum appropinquare?» Greg. lib. IV. epist. 38. «Omnia qua sunt, sunt, Rex superbia proprie est.» Et horum in Evang. audacter pronuntiat Mundi finem instare, sed ista suspiciones erant, non errores: non enim scisti isti Patres certum tempus definire aucti sunt.

Porro ali audacius certum tempus constituerunt, Judas quidam, ut Hieronymus refert in lib. de viris illustr. anno Christi 200, putavit, Antichristum venturum, et Mundum finiendum, qui ut patet, deceptus est. Rursum Lactantius lib. VII. cap. 25. div. Inst. «Omnis, inquit, expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum.» Ubi docet Antichristum fuisse venturum, et Mundum finiendum ante annum 200 a sua aetate. Ipse autem vixit temporibus Constantini anno Christi 300: itaque anno 300, a Christo putavat fore Mundi finem, sed ipso quoque, experientia teste, deceptus est.

Refert B. Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. 53. aliorum errorem, qui dixerunt Mundum finiendum anno 400. ab ascensione Domini, et rursum aliorum, qui annum millesimum statuerunt, qui omnes decepti sunt: sic etiam accidit Paganis, qui, teste eodem Augustino ibidem, ex nescio quo responso divino collegantur: Christianam religionem solum duraturam annis 365. Fuit etiam Episcopus quidam Florentinus circa annum Domini 4105, qui asservat, Antichristum tunc natum fuisse, proinde Mundi finem instare. Quia de causa coactum est Concilium Florentia Episcoporum 340, a Paschali II. Vide Chronica Matthæi Palmeri, et Platinam in vita Paschalis II.

Denique, fuit semper celebris opinio multorum assertorum, Mundum duraturum sex millibus annorum, cum sex diebus Deus Mundum creaverit, et mille anni apud Deum

sint quasi dies una. Ila Justinus q. 71 ad Gent. Irenæus lib. V. Lactantius lib. VII. cap. 44. Hilarius in cap. XVII. Maith. Hieronymus in Psal. LXXXIX. ad Cyprinum. Cui sententie concordat etiam Thalmudistarum opinio, qui ex Eli Propheta dicunt se vaticinum habere, quo asseratur Mundus sex millibus annorum duraturus.

Hæc sententia nondum potest per experientiam redargui: nam secundum veram Chronologiam sunt elapsi a Mondo condito anni plus minus quinque mille sexcenti. Unde Ambrosius qui lib. VII. in Lue cap. 2. hanc opinionem rejecti asserunt, tempore suo jam fuisse elapsos annos sex mille, aptere deciperit. Optima est moderatio B. Augustini, qui hanc sententiam probabilem putavit, et eam ut probabilem secutus est lib. XX de Civit. Dei cap. 7. Neque hinc sequitur, nos scire tempus ultime diei: Dicimus enim probabile esse, Mundum non duraturum ultra sex milia annorum: non autem dicimus id esse certum. Quocirca idem Augustinus acriter reprehendit eos qui asservant, certo aliquo tempore Mundum finiendum, cum Dominus dixerit Act. I: *Non esse nostrum scire tempora et momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (1). Vide Augustinus in epist. 80. ad Hesych. in Psal. LXXXIX et lib. XVIII de Civit. Dei cap. 53. Sed his omissis, ad haeticos veniamus.

Haeretici hujus temporis cum omnes docent, Antichristum esse Romanum Pontificem, jamque apparuisse, et in Mundo versari: tamen inter se non consentiunt de tempore, quo apparuit; sunt enim sex eorum opiniones.

Prima Samosatenorum, qui in Hungaria et Transylvania degunt, qui in quodam libello quem inscribunt: «Preamonitiones Christi et Apostolorum de abolendo vero Christo per Antichristum,» docent Antichristum paulo post tempora Apostolorum apparuisse, nimurum, quando cepiū est prædicari, Christum esse Filium Dei aeternum. Ipsi enim existimant, Christum esse purum hominem, et in Deo unam tantum esse personam, et hanc fidem a Christo et Apostolis prædicatam: sed paulo post mortem Apostolorum venisse Romanum Antichristum, et vero Christo puro homine abilito, introduxisse alium Christum aeternum et fecisse Deum trinum, et Christum binum.

(1) Act. I. 7.

Hæc opinio, præter argumenta, quæ infrafferimus contra omnes hereticos, facilime refutatur duplicerit. Primo, quia Antichristus cum venerit, *seipsum faciet Deum* (1), non aliquem alium ut Apostolus ait II. Thessal. II. Romanus autem Pontifex, ut ipsimet dicunt, non seipsum fecit Deum, sed Christum predicavit, et ex puro homine Deum fecit. Secundo, quia ipsi dicunt, mox post Christi et Apostolorum dormitionem, extinctam fuisse penitus per Antichristum veram Christi Filium; et in toto Mondo deinceps adoratum fuisse Christum Deum. At Christus predixit, contra Ecclesiam suam non prevaliturus portas inferi, Matth. XVI. Et Angelus predixit, æternum fore Christi regnum, Luca I. Et David predixit, omnes Reges servituros Christo, Psal. LXXI. Quomodo ergo verum est, in ipso initio nascentem Ecclesiam ab Antichristo esse deletam?

Secunda opinio est Illyrici, qui in Catalogo testium docet, Antichristum venisse, quando cepit Romanum Imperium inclinare ad ruinam, constat autem Romanum Imperium inclinare cœpisse post annum decimum Honorii, quando Roma primum capta est, id est, anno Domini 412. ut Blondus ostendit lib. I. Decad. 1. histor. ab inclinat. Rom. Imp. hoc intelligere videtur Illyricus de conceptione, non de nativitate Antichristi: siquidem ipse idem Cent. VI. cap. 1. in principe docet, Antichristum conceptum quodammodo initio anni 400. deinde animatum, et formatum, atque nutritum in utero matris, circa annum quingentesimum: et postremo, anno 606. natum, quando videlicet Phocas concessit Pontifici Romano, ut Caput diceretur totius Ecclesie. Idem Cent. I. lib. II. cap. 4, col. 438. docet, Antichristum regnaturum et seviturum gladio spirituali anni 1260. gladio autem temporali anni 666. et tunc finem Mundi ad futurum.

Priorem numerum colligit ex Apoc. XI. cap. ubi dicitur, duraturum tempus Antichristi diebus 1260. Vult enim Illyricus accipiri diem pro anno. Posteriorem numerum colligit ex Apoc. 13. ubi dicitur numerus bestie esse 666.

Potest refelli duobus modis haec opinio. Sequitur enim primo, jam Antichristum non solum esse natum, sed etiam mortuum; et proinde Mundi finem jam advenisse. Nam Pontifex Romanus cœpit gladium tempora-

lem, id est, temporale dominium habere saltem ab anno 699. tunc enim Aripertus donavit Pontifici Romano Alpes Cottias, ubi nunc Genua est: et postea anno 714. eam donationem confirmavit Luitprandus, ut scribit Ado Viennensis in Chron. horum annorum, Blondus lib. X. decad. 4 et idem fatentur Magdeburgenses, Centur. VIII. cap. 10. col. 683. et Theodorus Bibliander, qui hoc anno 714. annotat, factam esse primam provinciam Papisticam.

Non diu post, id est, anno 733, donavit Pipinus Romanis Pontificibus Exarchatum Ravennæ cum magna parte Italie, ut testatur Regino, Ado, Sigerbertus, Blondus lib. II. Decad. P. Æmilius, et ipsi etiam Centuriatores, Cent. VIII. cap. 10. col. 724. ac Theodorus Bibliander in Chron. Si igitur hoc anno 735. caput regnum Antichristi, et duravit annis 666. igitur finem accepit anno Christi 1421. igitur sunt iam anni plusquam 150. ex quo obiit Antichristus. Quod si initium regni ejus ponitur altius, id est, anno domini 699. tunc finis pondetur erit anno 1363. et erunt tunc plusquam 200 anni transacti post mortem Antichristi.

Respondebunt fortasse: post annum 666 regni sui temporalis, Antichristum non moriturum, sed tantum amissum temporale dominium. Cum enim ipsi dicant, regnum spirituale Antichristi duraturum 1260 annis qui adhuc finiti non essent, et si capissent ab anno Christi 606. consequenter dicere debent, duraturum regnum Antichristi spirituale aliquanto tempore post delatum regnum ejus temporale: sed certe est absurdum, et contra omnes auctores; et præterea saltum sequitur, jam ante annos 200. debuisse Pontifices amittere temporale dominium, quod est contra experientiam.

Secundo, idem error potest refelli, quia sequitur ex hoc errore, nosse Centuriatores exacte quando finietur Mundus, quod tamen est contra verba Domini, Act. I. et Matth. XXIV. Quod sequatur, patet nam ipsi sciunt Antichristum cœpisse regnare gladio spirituali anno 606. sciunt etiam regnaturum tantum annis 1260. et tunc statim venturum Dominum ad iudicium, ut ipsimet ex Paulo II. Thessal. II. colligunt; sciunt igitur iudicium extremum futurum anno Christi 1866. vel si hoc nesciunt, coguntur etiam nescire, an Antichristus venerit.

(1) II. Thessal. II. 4.

Tertia opinio est Davidis Chyträei, qui in Comment. cap. IX. Apoc. cum Illyrico docet, Antichristum apparuisse circa annum Domini 600, et satis aperte significat, S. Gregorium fuisse I. Pontificem Antichristianum. Idem vero Chyträeus in Comment. cap. XI et XIII non assentitur Illyrico quantum ad tempus durationis Antichristi, sed prudenter monet, non esse id temere definendum. Probat vero tribus rationibus, Antichristum apparuisse anno 600.

Primo, quia eo tempore Gregorius stabilivit invocationem Sanctorum, et Missas pro defunctis. Secundo, quia anno 606, Papa Romanus Bonifacius III impetravit a Phoca titulum Episcopi universalis. Addit tertiam rationem in Comment. cap. XIII. quia hoc tempus plane et perspicue congruit cum numero nominis Antichristi, quod continet 666, ut in Apoc. cap. XIII habetur.

Addit ibidem Chyträeus, ex hoc eodem numero nominis Antichristi colligi tempus, quo confirmatum fuit a Pipino Antichristi regnum: nam tot fere anni sunt ab anno 97, quo Joannes scriptis Apocalypsim usque ad Pipinum, nimirum 666. Item colligi tempus, quo primum a Joanne Huss fuit Papa Romanus dejectus et declaratus Antichristus: sunt enim fere anni 666, a Pipino ad Joannem Huss.

Hæc sententia facile refelli potest; nititur enim solis mendaciis. Nam in primis non fuit Gregorius primus, qui Sanctos invocare, et Missas pro defunctis offerre docuit: docuerunt id ipsum omnes Veteres, ut nos alibi demonstravimus. Nunc unus Ambrosius sufficiat, qui 200 annis Gregorium precessit, in lib. de viduis: «Obscurandi, inquit Ambrosius, sunt Angeli, Martyres obscurandi. » Et lib. II. epist. 8 ad Faustin. de obitu sororis: «Itaque, inquit, non tam deplorandum, quam prosequendam orationibus reor, nec mæstificandam lacrymis tuis: sed oblationibus animam ejus Deo commendandum. » Denique Phocas non titulum universalis Papæ tribuit, sed eum Caput Ecclesiarum appellavit. Sed hoc idem multo antea fecerat Justinianus in epist. ad Joan. II et antea etiam Concil. Chaled. in epist. ad Leonem. Sine causa igitur tempore Phocæ ponitur adventus Antichristi.

Quod vero addit Chyträeus, de numero 666, omnino ineptum est, quia non congruit præcisè numerus ille cum temporibus, quibus vult Chyträeus Antichristum apparuisse, vel confirmatum, vel declaratum esse. Nam a Christo ad Phocæ sanctionem, sunt anni 607 non 666. Ab Apocalypsi revelata, sunt ad Pipinum anni 658, a Pipino ad Joannem Huss sunt, ut ipse dicit, anni 640. At certe Joannes in Apocalypsi præcisum numerum notavit, cum etiam minutias addiderit. Adde quod Joannes Huss non declaravit primus Papam esse Antichristum: id enim antea fecerat Wicel. Imo nec unquam dixit Joannes Huss, Papam esse Antichristum: nam in art. 49. Constantiæ damnato dicit, Clericos per avaritiam suam parare viam Antichristi. Denique Lutherani omnes gloriantur, a Luthero Antichristum esse detectum.

Quarta opinio est Lutheri in Supput. temp. qui duos adventus Antichristi ponit: unum, cum gladio spirituali, post annum Domini 600, quando videlicet Phocas Pontificem Romanum Caput omnium Ecclesiarum vocavit: ubi etiam dicit, Gregorium fuisse ultimum Pontificem Romanum. Alterum, cum gladio temporali post annum Domini millesimum. Idem prorsus docet Bibliander in Chron. tab. 41 et 13. Itaque in primo adventu convenienter Lutherus et Bibliander cum Centuriatoribus et Chyträeo, eo excepto, quod Lutherus et Bibliander dicunt, Gregorium fuisse sanctum et bonum Pontificem: Centuriatores autem Centur. VI. c. 1. col. 2, et Chyträeus dicunt, Gregorium praे omnibus navasse operam introducendo Antichristo, et proinde pessimum fuisse, quæ est blasphemia horrendissima. In secundo adventu dissident aperte Lutherus et Centuriatores.

Hæc opinio præter argumenta communia, que postea fient, facile refelliatur. Nam omnino sine ratione Lutherus ponit adventum Antichristi anno 600, et anno millesimo: ac de anno quidem 600, jam diximus in refutatione Chyträei; de anno millesimo facile probari potest. Nam ideo Lutherus ponit eo tempore initium regni temporalis Antichristi, quia tunc Papa Gregorius VII, depositus Imperatorem Henricum IV, et temporaliter dominabatur, et bella gerebat: atqui hæc omnia etiam antea fiebant; nam Gregorius II. excommunicavit Leonem Imperatorem, cumque privavit regno Italiae, anno 715. testibus Cedreno et Zonara in vita ejusdem Leonis: Dominum autem temporale jam ostendimus ab anno 700, id est, trecentis annis ante annum millesimum habuisse Romanos Pontifices.

Denique testantur Magdeburgenses Cent. VIII, cap. 40. Stephanum III bella gessisse circa annum Domini 750, et idem dici protest fecisse Adrianum I, et alios eorum successores. Item circa annum 850, Leonem IV, virum sanctum, et miraculam illustrem, bellum gessisse contra Saracenos, et insignem victoriam reportasse, et urbem Romanam turribus, et propugnaculis munivisse, necnon montem Vaticanicum muro cinctissime, qui inde ab eius nomine civitas Leonina appellatus est; scribunt omnes fere Historici eius temporis, et ipsi etiam Magdeburgenses Cent. IX, cap. 40.

Quinta opinio est Henrici Bullingeri, qui prefat. in hom. suas ad Apoc. scribit, Antichristum apparuisse anno Domini 763, que opinio dissidet ab omnibus superioribus, et inde facile refelli potest, quod nittitur debilissimo fundamento. Docet enim Bullingerus, in Apoc. cap. XIII, ubi ponitur numerus nominis Bestie 666, significari eo numero tempus adventus Antichristi, id est, quot annis post Apocalypsim scriptam Antichristus venturus esset. Et quoniam constat ex Ireneo lib. V. Apocalypsim scriptam circa finem Imperii Domitiani, id est, circa annum Domini 97, colligit ipse, Antichristum venturum fuisse anno 763, tot enim flunt si adantur 666 ad 97.

Huc referri potest opinio quorundam Catholicon, qui, ut referat Jodecus Cliothevus in Commentariis ad cap. 28, lib. IV de fid. Joan. Damasceni, existimat, Antichristum proprie dictum fuisse Mahometum, quia venit circa annum 666, prout Joannes predixerat: at hæc ratio nihil valit. Nam in primis Magdeburgenses reclamant, et contendunt, numerum illum ex Apocalypsi non significare tempus nativitatis Antichristi, sed tempus mortis. Joannes autem Evangelist. cap. XIII Apoc. tam Illyrici, quam Bullingeri commentum rejecit: seipsum enim explicans dicit, illum numerum non esse numerum temporis, sed numerum nominis Antichristi, id est, Antichristum habiturum nomen, cuius litteræ Graeca efficiunt numerum 666, ut Ireneus lib. V et omnes ali exponunt.

Præterea isto anno 763, nulla mutatio facta legitur in Romanis Pontificibus. Mahometus etiam non venit, nam natus est anno Domini 597. Coepit se Prophetam dicere anno Domini 623. Deinde obiit anno Domini 637, teste Palmerio in Chron. Itaque non

pervenit ad annum 666.

Sexta opinio est Wolfgangi Musculi, qui in loc. tit. de Ecel. cap. 12 affirmat, Antichristum venisse paulo post tempora beati Bernardi, id est, circa annum 1200, et probat, quia B. Bernardus serm. 6 in Psal. XC enumeratis multis viis hominum, et preciis Ecclesiasticorum, et gravissimis Ecclesiae persecutionibus, subjungit: « Superest, ut reveletur homo peccati. »

At hæc etiam opinio nullo negotio refellitur, nam B. Bernardus suspicatur ex malis quæ videbat, Antichristum prope esse; sicut etiam diximus suspicatos suis temporibus Cyprianum, Hieronymum, Gregorium; et sicut illorum, ita et Bernardi suspicio falsa fuit. Præterea fuerunt Pontifices sine comparatione illa peiores ab anno 900 ad millesimum, quam ab 1100 ad 1200. Si ergo illi non fuerunt Antichristi, quare isti erunt?

#### CAPUT IV.

*Explicatur prima demonstratio, quod nondum venerit Antichristus.*

Est igitur vera sententia, nondum regnare cœpisse, neque venisse, sed venturum et regnaturum circa Mundi finem, qui quantum adhuc absit, nullo modo sciri potest. Hæc sententia, que destruit omnes superiores, et clare ostendit, Romanos Pontifices non esse Antichristos, demonstratur sex rationibus.

Scendum est enim, Spiritum sanctum in divinis litteris sex signa certa adventus Antichristi nobis dedisse: duo præcedentia ipsum Antichristum, nempe prædicacionem Evangelii in toto Mundo, et Imperii Romani desolationem: duo comitantia, videlicet prædicacionem Henoch et Eliae, et persecucionem maximam et notissimam, ita ut publica sacra omnia cesserent: duo sequentia, nimurum, interitum Antichristi post tres annos cum medio, et finem Mundi; quorum nullum adhuc videmus existere.

Prima ergo demonstratio sumitur ex primo signo antecedente Antichristum. Scriptura testantur, in toto Mundo prædicandum Evangelium, autem quod veniet ultima persecutio, que excitabitur ab Antichristo Matth.

XXIV: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus.* (1)

Quod autem hoc sit futurum ante adventum Antichristi, probari posset ea ratione, quia tempore Antichristi, crudelitas persecutionis illius novissime impediet omnia publica exercitia veræ religionis.

Sed quia hanc rationem adversari non admittunt, nec est tempus nunc eam deducendi ex suis principiis, probemus id ipsum ex testimonio Patrum. Hilarius igitur can. 25 in Matth. expонens illa verba: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, et tunc veniet consummatio*, aperie docet, non venturum Antichristum, quem abominationes desolationis appellat, nisi precedat Evangelii prædicatio in toto Orbe.

Idem docent disertis verbis Cyrillus cathech. 45. Theodoreus in II Thessal. II. Damascenus lib. IV, cap. 28 et ali: et præterea idem colligitur ex textu. Nam dicitur prædicandum Evangelium, antequam veniat illa maxima et novissima tribulatio, qualis nec ante fuit, neque postea erit: quia tribulatione significari Antichristi persecutio, docent Patres, et præcipue Augustinus lib. XX de Civit. Dei, cap. 8 et 19. Quod autem Evangelium non fuerit prædicatum in toto Orbe terrarum eo tempore, quo dicunt novi Samosateni venisse Antichristum, id est, circa annum Domini 200 vel 300, patet ex Origene, qui tract. 28 in Matth. asserit, tempore suo non fuisse adhuc ubique prædicatum Evangelium. Item ex Ruffino, qui lib. X hist. cap. 9 testatur, tempore Constantini Imperatoris, id est, post annum Domini 300, Indis uterioribus prædicatum fuisse Evangelium, cum antea nunquam illi de Christi quidquam audivisset. Denique ex Augustino, qui in epist. 80 dicit, experientia certissima se compreserit, suo tempore adhuc fuisse multas Gentes, que nihil de Christo audierant.

Quod autem, neque completa fuit prædicatio Evangelii circa annum 600 vel 700, quibus temporibus ponunt adventum Antichristi Centuriatores, Chytraeus, Lutherus, et Bullingerus, patet ex conversione Wandolorum, Polonorum, Moravorum, et similium, quos constat non audivisse prædicacionem Evangelii, nisi post annum Christi 800, ut etiam Centuriatores fatentur Cent. IX, cap.

2, col. 13 et 18 et Cent. X, cap. 2, colum. 18 et 19. Item, quod non fuerit completa prædicatio tempore B. Bernardi, quo tempore ponit adventum Antichristi Wolfgangus Musculus; patet ex ipso Bernardo lib. III de Consider. ubi asserit, adhuc suo tempore fuisse Gentes, quæ non audierant Evangelium.

Denique, quod etiam nostro tempore non sit prædicatum Evangelium in toto Mundo, experientia docet. Inventæ sunt enim in Oriente et Occidente regiones vastissime, in quibus nulla existat memoria Evangelii. Nequaquam potest fuisse ibi Fidem, sed postea esse extinctam: nam saltem aliqua vestigia remanerent, vel ibi, vel in scripturis Veterum. Præterea scimus, ubi prædicaverunt omnes Apostoli, fuisse loca multis nota, ne dicam omnibus: at novus Orbis terra nunc inventus, non fuit cognitus ab Apostolorum temporibus, nisi paulo ante nostram èta-

mentum. Contra hanc demonstrationem una tantum objecio fieri potest: quia nimis fortasse Scriptura, que dicunt Evangelium in toto Orbe prædicandum, non loquuntur de toto Orbe simpliciter, sed per figuram intellectionis accipiunt totum pro parte, sicut Luc. II cum dicitur: *Exiit edictum a Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Alioquin falsum erit quod Paulus dicit Rom. X iam tune tempore suo: *In omnem terram exiisse sonam Apostolorum.* Et quod ait Col. I: *A spe Evangelii quod perenit usque ad eos, sic et in toto mundo est, fructificans et crescens.* Et infra: *Quod prædicatum est, inquit, in universa creatura quæ sub caelo est* (2).

Respondeo: sine dubio, non per figuram, sed proprie et simpliciter in toto mundo, id est, in omni Gente prædicari debere Evangelium, et Ecclesiæ constituti. Nam in primis id expresse docet Augustinus epist. 80 ad Hesych. et idem sentiunt alii Patres citati, et præterea Origenes, et Hieronymus, et ali in cap. XXIV Matth.

Deinde, tribus rationibus id probari potest. Primo, Christus ait, prædicacionem in universo Mundo esse signum consummacionis seculi; sic enim subjungit: *Et tunc veniet consummatio* (3): at si non proprie, sed per synecdochen deberet prædicari Evangelium in toto Mundo, nihil valeret illud signum: Nam eo modo primis 20 annis

(1) Matth. XXIV, 14. — (2) Luc. II, 1; Rom. X, 18; Coloss. I, 6 et seq. — (3) Matth. XXIV, 14.

fuit prædicatum Evangelium ab Apostolis in toto Mundo. Secundo, ut Augustinus ratio-cinatur, proprie omnes Gentes sunt Christo promissa Psal. LXXI : *Omnis gentes servient ei* (1) : et Christus generaliter pro omnibus mortuis est, et ideo in Apoc. cap. VII de-scribuntur electi ex omnibus Gentibus, et populis, et tribubus, et linguis ; igitur etiam prædicatio propriæ debet esse generalis. Denique Matth. XXIV dicit prædicandum Evangelium in toto Mundo *in testimonium omnibus Gentibus* (2), id est, ne una Gens in die iudicii possit excusare infidelitatem suam prætextu ignorantiae ; igitur ante generale iudicium, generalis prædicatio debet pre-cedere.

Ad loca illa Pauli respondet Augustinus in epist. 80. ac dicit, Paulum, cum ait Rom. X: *In omnem terram exivit sonus eorum* (3), accepisse præteritum pro futuro, sicut fecerat David, cuius illa verba sunt. Cum autem ait Coloss. 1: *Evangelium esse in toto Mundo* (4), non voluisse dicere esse actu, sed virtute, quia nimis jactum fuerat per Apostolos semen verbi divini in Mundum, quod pa-latum fructificando, et crescendo, totum Mundum repletum erat : quomodo aliquis, qui ignem supposuisset diversis partibus ci-vitatis, vere diceretur totam illam urbem incendisse, quia ignem applicuerat, qui pau-latum crescendo, totam urbem absumpturnus erat ; et hoc idem Apostolus indicat cum ait: *In toto Mundo est fructificans, et crescent :* non enim Mundum totum plane occupave-rat, cum adhuc propagaretur, et tamen suo quodam modo occupaverat, id est, virtute, non actu.

Posset etiam responderi cum Hieronymo in cap. XX Matth. et B. Thoma in cap. X ad Rom. duobus modis pervenire Evangelium ad omnes Gentes : uno modo per famam ; alio modo per proprios predicatorum, et Ecclesiarum fundationem. Et quidem primo modo pervenire Evangelium ad omnes Gen-tes totius Mundi tune noti tempore Apostolorum, et de hoc loqui Panum : quomodo etiam debet intelligi Chrysostomus in cap. XXIV Matth. Secundo modo non pervenisse tunc, sed per venturum suo tempore, et de hoc loqui Dominum Matth. XXIV, Luc. ult. et Act. I.

Addit ultimo, non esse absurdum, si con-cedamus, Dominum proprie, Apostolum fi-

gurare esse locutum. Rationes enim, quibus cogimur Domini verba in propria significa-tione accipere, non eandem vim habent, si accommodentur ad verba B. Pauli : preser-tim cum Dominus de re futura, Paulus de-præterita sit locutus.

### CAPUT V.

#### *Explicatur secunda Demonstratio.*

Secunda demonstratio sumitur ex altero signo antecedente tempora Antichristi, quod erit Desolatio omnimoda Romani Imperii. Scindendum est enim, Romanum Imperium tandem dividendum in decem Reges, quo-nam nullus erit vel dicetur Rex Romanorum, et si omnes occupabunt provincias alias Romani Imperii : sicut modo Rex Gallie, Rex Hispanie, Regina Anglie, et forte ali-qui alii tenent partes Romani Imperii, et tamen non sunt Romani Reges, vel Imperatores : donec autem hoc non sit, non potest Antichristus venire.

Probat hoc Irenaeus lib. V ex Daniele cap. II et VII, et ex Apoc. cap. XVII. Nam cap. II Danielis describitur successio præcipiu-m regnum usque ad finem Mundi per statuam quamdam, cuius capit aureum sig-nificat primum regnum, id est, Assyriorum; pectus argenteum est regnum secundum, id est Persarum : venter aeneus regnum tertium, id est, Graecorum : tibiae ferreæ, regnum quartum, id est, Romanorum : quod longissimo tempore fuit bipartitum, sicut tibiæ duæ sunt et longissimæ. Porro ex duabus tibiis oriebantur decem digitæ, et in eis tota illa statua desinebat, quia videlicet Ro-manum Imperium tandem in decem Reges dividendum erat, quorum nullus erit Rex Romanorum, sicut nullus digitus est tibia. Jam vero cap. VII clarissime Daniel per quatuor bestias eadem quatuor regna desi-gnat, et addit, ex ultima bestia proditura decem cornua, qua decem ultimos Reges significant, qui orientur quidem ex Romano Imperio, sed non erunt Romani Imperatores : sicut cornua ipsa oriuntur ex bestia, sed bestia ipsa non sunt.

(1) Psal. LXXI, 11. — (2) Math. XXIV, 14. — (3) Rom. X, 18. — (4) Coloss. 1, 23.

Denique Joannes cap. XV Apoc. describit bestiam cum septem capitibus, et decem cornibus, super quam mulier quadam sede-bat, et explicat, mulierem esse urbem magna-m, que sedet super septem colles, id est, Romam : septem capita esse septem illos montes, et etiam septem Reges, quo numero intelliguntur omnes Romani Imperatores. Decem cornua dicit esse decem Reges, qui uno tempore simul regnabunt, et ne pote-nimus hos fore Romanos Reges, addit, quod hi Reges odio habeant forniciariam, et desolatam facient, quia ita inter se dividunt Romanum Imperium, ut illud penitus des-truantur.

Deinde idem probatur ex Paulo II. Thess. II, ubi dicit : *Et nunc quid delictum scitis, utreveletur in suo tempore, tantum ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus etc.* (1) Ubi Paulus non ausus aperte scribere de eversione Romani Imperii, quod tamen aperte illis coram ex-pliqueret, sic loquitur, et sensus est : Scitis, quid impedit adventum Antichristi? Dixi enim vobis, Romanum Imperium impedi-re, quia non sunt adhuc impleta ejus peccata, et non ante ventus Antichristus, qui hoc Imperium propter sua peccata tollat et medio. Ideo qui nunc tenet Romanum Imperium, teneat, id est, regnet, donec de medio fiat, id est, aboleatur, et tunc revelabitur ille ini-quus. Ita exponunt Graeci Patres, et Latini : Cyrus Catech. 15. de hoc loco disputantur : « Veniet, inquit, predictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani Imperii. » Chrysostomus in hunc locum : « Quando, inquit, et medio sublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Antichristus. » Si-milia habent Theophylactus, et OEcumeni-

Ex Latinis. Tertullianus in Apolog. cap. 32. dicit, Christianos orare pro diuturnitate Romani Imperii, quod sciunt illo Imperio everso, imminere Orbi summam calamita-tem, et Laclantius lib. VII, cap. 15. expli-cans ea qua precedunt Antichristum, et Mundi finem : « Romanum, inquit, nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus di-cere, sed dicam quia futurum est) tolletur de terra, et Imperium in Asiam reverteret, ac rursum Oriens dominabitur : atque Occi-dens serviet. » Ambrosius in II. Thess. II, post defectum et abolitionem Romani regni

venturum dicit Antichristum.

Hieronymus quæst. 41. ad Algasium, eundem locum Pauli enarrans : « Nisi ve-nerit, inquit, discessio primum, ut omnes Gentes, quæ Romano Imperio subjacent, re-cedant ab eis, et nisi fuerit Romanum Imperium ante desolatum, et Antichristus præ-cesserit, Christus non veniet: tantum ut Ro-manum Imperium, quod nunc universas Gentes tenet, recedat, et e medio fiat, et tunc Antichristus veniet. » Denique Augustinus lib. XX de Civit. Dei, cap. 19. sic eundem locum exponit : « Tantum qui modo impe-rat, imperiet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur, et tunc revelabitur ille ini-quus, quem significari Antichristum nullus ambiguit. »

Quod autem hoc signum non sit impletum illis temporibus, quibus Transylvani Antiri-tuariorum dicunt venisse Antichristum, id est, circa annum 200, patet, quia tunc maxime florebant Romanum Imperium, et diu postea floruit.

Quod etiam non sit impletum unquam ha-cetenus, patet, quia adhuc manet succe-sio, et nomen Imperatorum Romanorum, et mirabiliter providentia Dei, quando deficit Imperium in Occidente, quod erat altera tibia-rum statua Danielis, mansit incolme Imperium in Oriente, quod erat altera tibia. Quia vero Imperium Orientis destruendum erat per Turcas, ut nunc factum videmus; iterum Deus exxit in Occidente priorem fibiam, id est, Imperium Occidentale per Carolum Magnum, quod Imperium adhuc durat.

Neque obstat, quod Roma ipsa juxta Jo-anis vaticinium quodammodo cederit, et Imperium amiserit. Nam Imperium Romanum sine urbe Roma bene consistere potest, et dici Romanus Imperator qui Roma caret, modo succedat alteri Romano Imperatori in eadem dignitate et potestate, sive plures, sive pauciores provincias sub Imperio suo ha-beant. Alioquin nec Valens, nec Arcadius, nec Theodosius junior, nec alii eorum suc-cessores, usque ad Justinianum, qui omnes Roma caruerunt, Romani Imperatores dici potuissent. Nec etiam Carolus Magnus, et successores, qui etiam urbe Romana poti non sunt, unquam fuissent Imperatores, quod falsum esse ex duobus patet.

Primum, quia hac sola de causa Impera-

(1) II. Thessal. II, 6 et seq.

tor, qui nunc est, praeceps omnes Christianos Reges, etiam se aliqui maiores, et potentiores. Deinde, quia constat, consentientibus Romanis, Carolum Imperatorem creatum, teste Paulo Diacono lib. XXIII Rerum Rom., et ab ipso Graeco Imperatore, per Legatos Imperatorem salutatum, teste Adone in Chron. anni 810, et a Persis atque Arabibus ut Imperatorem munieribus ornatum, teste Othono-Frisingensi lib. V, cap. 31. Denique, Lutherani gloriabantur, se tres Principes habere electores Romani Imperatoris; proinde negare non possunt, quin adhuc Romanum Imperium duret.

Recte igitur Orosius lib. II, cap. 4, comparat Babylonicum Imperium cum Romano, dicit: Deum longe mitius egisse eum Romanis, quam cum Babylonii. Nam post annos 1164, ex quo Babylon condite erat; uno die capta est Babylon caput Imperii, necatus est Imperator, et Imperium desolatum destructumque est. At post annos solidem, id est 1164, ex quo caput esse Roma, capta est Roma a Gothis, sed incolimi Imperatore Honorio, qui tunc rebus praerat, et salvo Imperio Romano.

Hinc apparet deceptio adversariorum. Illi enim putabant, sufficere inclinationem Romanii Imperii ad Antichristi adventum: sed Paulus, Joannes, et Daniel: et Patres, Ireneus, Cyrilus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Tertullianus, Lactanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, non inclinationem, sed desolationem dicunt necessariam.

Sed objiciunt Lutherini, Illyricus, et Chytrae, hanc demonstrationem pro se maxime facere; nam praedictum erat a Joanne in Apoc. XIII, Bestiam, que Romanum Imperium significabat, vulnerandam ad mortem, et ab Antichristo iterum sanandum; quod sane tunc factum est, cum Papa Imperium Occidente, quod jam fere perierat, iterum instauravit, collato in Carolum Magnum titulo ac dignitate Imperatoris; igitur ex hac ipsa translatione seu instauracione Imperii manifeste colligitur, Papam Romanum vere esse Antichristum. Vide Illyricum in lib. cont. Prim. Papæ, et Centur. VIII, cap. 10, col. 751. et Chytraeum in cap. XIII Apocal.

Confirmat hoc argumentum Illyricus ex Ambrosio, qui explicans verba B. Pauli II. Thes. II dicit, Antichristum redditum Romanum libertatem sed sub suo nomine: quod Papa videtur fecisse, cum Imperatorem Romanis

creavit, qui tamen a se dependeret.

Respondeo: apud Joannem nusquam legimus, ab Antichristo sanandum bestiam, que Romanum Imperium significabat; sed hoc legimus, unum ex capitibus Bestiae mortuum, et paulo post iterum resurrectum, opera Draconis, id est, Diaboli: id quod omnes fere veteres exponunt de ipso Antichristo, qui finget se mortuum, et arte diabolica iterum se ipsa excitat, ut imitetur veram Christi mortem et resurrectionem; et eo modo plurimos seducit.

Ita exponit B. Gregorius lib. XI, epist. 3, necon Primasius, Beda, Haymo, Anselmus, Richardus et Rupertus in cap. XIII Apoc. Et textus ipse cogit plane, ut per illud caput bestiae, quod mortuum erat et revixit, non intelligamus Carolum Magnum, sed Antichristum: siquidem illud caput, ut Joannes scribit, potestatem habuit solum mensibus quadraginta duobus: et blasphemabat Deum, et eos qui in celo habitant: et imperavit in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem: et adoraverunt illud omnes qui habitant in terra; quarum rerum nullam vidimus, nec legimus in Carolo Magno, aut in aliquo successorum ejus. Regnavit enim Carolus diutius quam mensibus quadraginta duobus; nec Deum et Sanctos blasphemabat, sed eos potius mirifice coluit, et pietatem ejus multi successorum ejus imitati sunt.

Denique, nec ipsa Carolus, nec ullus successorum ejus, in omnem tribum, populum, linguam, et gentem Imperium habuit, ut omnibus notum est. Porro S. Ambrosius non ait, novum Romanum Imperatorem ab Antichristo creandum fuisse, quod Papa fecit: sed everso Romano Imperio, libertatem Romanis restituendam, quod Papa fecisse non legitur.

## CAPUT VI.

### Explicatur tercia Demonstratio,

Tertia demonstratio sumitur ex adventu Henoch et Eliae, qui adhuc vivunt, et ad hunc vivunt, ut venienti Antichristo se opponant, et conservent clelos in Fide Christi, et tandem Iudeos convertant: quod ta-

men certum est nondum esse impletum. Quatuor Scripturæ extant de hac re. Prima Malach. IV: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et converte corde patrum ad filios, et corda filiorum ad patres eorum.* Secunda Eccl. XLVIII: ubi de Elia legimus: *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum. Qui inscriptus es in iudicis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.* Et cap. XLIV: *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det Gentibus penitentiam.* Tertia, Matth. XVII: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Quarta, Apocal. XI: *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus 1260.*

Heo omnia loca profert etiam Theodosius Bibliander in suo Chron. tabul. 14. sed ait, per Henoch et Eliam intelligi omnes ministros fideles, quos Deus excitat tempore Antichristi, qualis nimurum fuit Lutherus, et Zwinglius, et ceteri: et tandem concludit: «Quare, inquit, puerilis imaginatio est, vel Judaicum somnum, expectare vel Eliam, vel Henoch, ut personas suis proprietatis singularibus definitas.» Et idem docet Chytraeum in Com. ad hunc locum Apoc. Et probant: quia que dicuntur de Elia a Malachia, Dominus docuit intelligi de Joanne Mat. XI: *Ipse est Elias qui venturus est* (2). Et Hieronymus in cap. IV Malachie, exponit de omnibus prophetae, id est, de doctrina omnium Prophetarum.

Nobis vero non puerilis imaginatio, sed verissima sententia videtur, Henoch et Eliam in suis personis venturos, et contrariant, vel esse haeresim, vel errorem haeresi proximum, probatur primo ex illis Scripturis quatuor. Nam quod verba Malachie non possint intelligi de quibuscumque Doctoribus, ut de Lutherio, Zwinglio, et similibus, patet: nam Malachias dicit, ab Elia convertendos esse Iudeos, et proper Iudeos praecepit mittendum, ut patet ex illo: *Mittam vobis, et Ecclesiasticum: Restituere tribus Jacob;* at Lutherus et Zwinglius nullum Iudeorum converteruntur.

Quod etiam non possint intelligi de Joanne Baptista ad litteram, sed solum de Elia, patet, quia Malachias loquitur de secundo advento Domini, qui erit ad judicandum, sic enim ait: *Antequam veniat dies Domini*

*magnus et horribilis.* Primus enim adventus non vocatur dies magnus et horribilis, sed tempus acceptable, et dies salutis, unde etiam subditur: *Né forte veniens feriam terram anathemate,* id est, ne veniens ad judicium, et inventiens omnes iniquos, omnem terram condemnem; ideo mittam Eliam, ut habeam aliquos, quos salvem. At in primo advento Dominus non venit judicare, sed judicari: nec perdere, sed salvare.

Ad verba Domini Matth. XI paulo post respondebitur. Ad Hieronymum dico, eum, et si in Com. Malach. non putavit, Malachiam loqui de vero Elia: tamen in Com. Matt. XI et XVII confrarium sentire et docere. Denique, hanc esse communem Fidelium interpretationem, testatur Augustinus lib. XX de Civit. Dei cap. 29.

Quod etiam Ecclesiasticus loquatur de personis ipsis Henoch et Elia, non de aliquibus aliis, probatur: Nam Ecclesiasticus dicit, illum Henoch venturum, ut det Gentibus penitentiam, qui translatus est in paradisum: et illum Eliam venturum ad restituendas tribus Israel, qui in curru equorum igneorum raptus fuerat; que certe non convenient, nisi illi particularibus personis.

Quo loco non possum satis mirari, quid Episcopo Jansenio in mentem venerit, ut expomens hunc lucum scriberet: etiam si opinio sit omnium Veterum, Eliam venturum; tamen non convinci ex hoc loco: dici enim posse, Ecclesiasticum id scripsisse secundum receptam suo tempore opinionem, qua credimus fuit ex verbis Malachie, Eliam vere in sua persona venturum ante Messiam, cum id non esset implendum in propria ejus persona, sed in eo qui venturus erat in spiritu, et virtute Eliae. Si enim ita est, ut Jansenius dicit: sequitur, Ecclesiasticum errasse, et falsa scripsisse. Sed, ni fallor, Jansenius mutavit opinionem: nam scribens in cap. XVII Matth. docet, locum Malachie non posse intelligi ad litteram, nisi de vero Elia, quod idem cogitare dicere de loco Ecclesiastici, qui sine dubio Malachiam exponit.

Jam quod verba Domini Matth. XVII, intelligantur de vero Elia, non de Joanne, plausum est, quia Joannes jam venerat, et absolverat cursum suum, et tamen Dominus ait: *Elias venturus est.* Quod vero non intelligantur de omnibus Doctoribus, sed de uno vero Elia, probari potest. Primo, quia Apostoli,

(1) Malach. IV, 5; Ezech. XLVIII, 9 et 10; Matth. XVII, 11; Apoc. XI, 3. — (2) Matth. XI, 14.

qui moverunt quæstionem de Eliam, fuerunt Petrus, Jacobus, et Joannes, et occasionem accepérunt ex transfiguratione Domini, ubi Moysen et Eliam viderunt. Itaque cum interrogant: *Quid ergo Scribo dicunt, quia Elias oportet venire primum, loquuntur de illo Elias, quem viderant in monte cum Christo. Igmar Christus respondens, Elias quidem venturus est, et restituet omnia, loquitor etiam de illo Elias particulari, qui apparerat in transfiguratione.* Secundo, idem patet ex illis verbis *Et restituet omnia.* Id enim non fecit Joannes Baptista, nec natus alius. Nam restituere omnia, est omnes Judeos, et hereticos, et forte mullos Catholicos ab Antichristo deceperat revocare ad veram Fidem.

Sed instat Bibliander, quia Dominus Matt. XI de Joanne Baptista dicit: *Ipse est Elias qui venturus est,* quasi dicat. Ipse est Elias a Malachia promissus. Respondeo: Dominum velle dicere, Joannem fuisse Eliam promisum, non ad litteram, sed allegorice; ideo enim premisit, et si vultis recipere: quasi dicit, Elias quidem in sua persona promissus, venturus est in ultimo adventu: tamen si vultis etiam aliquem Eliam in primo adventu, Joannem recipite. Ideo etiam subiuxit: *Qui habet aures audiendi audiat;* indicans mysterium fuisse quod dixerat, Joannem fuisse Eliam.

Quod denique verba Joannis Apoc. XI. intelligantur de singularibus personis Henoch et Eliam, non de omnibus Doctoribus, patet ex eo quod ibidem Joannes dicit, eos interficiendos ab Antichristo, et corpora eorum per tres dies mansura inseputa in platea Hierusalem, et post tres dies eos resurrecturos, et in celum ascensuros, que nulli hactenus conigerunt.

Respondere tamen conatur David Chrysostomus in Com., ad hunc locum, ac primo ait: Joannem significare voluisse multos Lutheranos ministros a Papistis interficiendos; quibus tamen Deus vitam restituit, cum eos ad celum evexit in aeternum victuros. Secundo addit paulo infra, interficiendis illis Ministris, vitam corporis restituendam in die ultima resurrectionis. Denique tertio, ibidem addit, posse etiam significari per hanc vita restitucionem, quod videamus multos a Deo excitari alios Ministros in locum interfectorum cum eodem zelo et virtute.

At nimis leves sunt haes responses. Prima enim defendi non potest, quia beatitudine animæ non est restitutio vita amissa, sed

nova vita acquisitio. Deinde duo illi testes in Apocalysi coram omnibus resurgent, et corpore sursum versus elevabuntur, quod certe in beatitudine animæ non impletur.

Secunda solutio nihil etiam valet. Nam Joannes dicit, duos illos testes resurrecturos ante ultimum diem, durante nimis adhuc statu hujus Mundi: addit enim Joannes, timorem magnum incutendum inimicis eorum ex illa resurrectione: et paulo post terramotum futurum, et septem milia hominum peritura. Tertia denique solutio non est ad rem. Nam Scriptura dicit, illos eosdem qui mortui fuerant excedentes, et in celum assumendos: nos autem non vidimus adhuc ultimum Ministerum Lutheranum resurgere, vel in celum assimi. Quid, quod Joannes dicit, Henoch et Eliam sacerdos induitos praedicatores, et Lutherani sacerdos ita oderunt, ut si forte eos habent, dum Lutherani flunt, continuo eos abjiciant.

Probatur secundo, vere in suis personis Eliam et Henoch venturos tempore Antichristi, ex consensu Patrum. Nam de Eliam id asserunt Hilarius, Hieronymus, Origenes, Chrysostomus, et alii omnes Matthaei interpres, in cap. XVII. Item Lactantius I. VII. c. 17. et Theodoreus in cap. ult. Malach. et Augustinus tract. 4. in Joan. et Primasius in c. XI Apoc.

De Henoch et Eliam simul, id asserunt multi qui scribunt in Apocalypsim; ut Beda, Richardus et Arethas, ex quibus Arethas etiam addit, invariabiliter a tota Ecclesiæ credi, Henoch et Eliam venturos, ut se Antichristo opponant. Item Damascenus lib. IV, c. 28. Hippolytus martyr, in Orat. de Mundi consum. Necon B. Gregorius lib. XIV, c. 11. vel 12, et lib. IX, c. 4. Moral. et B. Augustinus lib. IX, c. 6. de Gen. ad lit.

Probatur tertio: quia aliquo non potest reddi ratio, cur isti duo sint rapti ante mortem, et adhuc vivant in carne mortali, aliquando morituri. Nam etiæ Judei, et Rab. Salomon in c. V. Genes. dicunt, Henoch a Deo occisum ante tempus, quia lenis et mutabilis erat, et Eliam asserunt, cum in curru igneo sursum ferretur, ab illo igne toto corpore exstum: et forte idem sentiunt Lutherani qui eos redituros negant; tamen Catholicæ omnes certa fide tenent utrumque in suis corporibus vivere. Quod enim mortuus non sit Henoch, Apostolus docet Heb. XI. Henoch translatus est, ne videret mortem: et quod tam ipse quam Elias mortui non sint, et ta-

men morituri sint; clare docent præter supracitatos, Ireneus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus et Epiphanius.

Ireneus lib. V loquens de Henoch et Eliam: « Dicunt, inquit, Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illic (In Paradisum terrestrem) translatos esse, et ibi manere usque ad consummationem, conspicantes incorruptionem. » Tertullianus lib. cont. Jud. cap. 2. de Henoch, sic ait: « Qui nequum mortem gustavit, ut aternitatis candidatus. » Epiphanius in Ancor. de Henoch et Eliam sic ait: « Hi duo permanent in corpore et anima propter spem. » Hieronymus in epistol. ad Pamphili. cont. Joan. Hierosol.: « Henoch, inquit, translatus est in carne, Elias carneus raptus est in celum, nequum mortui, et Paradiji jam coloni etc. » Augustinus lib. de peccato originali c. 23.: « Henoch, inquit, et Eliam non dubitamus, in quibus natu sunt corporibus, vivere. »

## Explicatur quarta Demonstratio.

Quarta demonstratio sumitur ex eo, quod certum est, Antichristi persecutionem fore gravissimam et notissimam; ita ut cessent omnes publicæ religionis ceremoniae et sacrificia. Quod illa ultima persecutio sit futura gravissima, patet ex illo Matth. XXIV: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit* (1). Et ex Apoc. XX, ubi legimus: *Tunc Satanam solvendum* (2), qui usque ad illud tempus fuerat ligatus.

De quo loco disputans Augustinus lib. XX de Civit. Dei cap. 8. et 9. dicit, Antichristi tempore Diabolum solvendum, et proinde tanto graviorem fore illam persecutionem omnibus precedentibus, quanto crudelius potest Diabolus savire solitus, quam ligatus. Itaque ait, tunc Diabolum omnibus suis et suorum viribus Ecclesiam vexaturum. Et Hippolytus martyr in Orat. de Mundi consum. ac Cyrilus Catech. 13. dicunt, Martyres, quos Antichristus occidet, futuros illustriores omnibus præteritis, quia præteriti, contra homines ministros Diaboli, at futuri,

contra ipsum Diabolum personaliter grassantem pugnabunt. At certe nihil tale experti sumus ab anno 600, vel etiam millesimo.

Dicunt quidem heretici, se magnam persecutionem ab Antichristi pati, quia interdum comburuntur aliqui de ipsis numero: at que comparatio est talis persecutionis cum persecutione Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, et aliorum? Siquidem proximo heretico qui comburuntur, mille Christiani olim interficiebantur; idque in toto Orbe Romano exercebatur, non in una solum provincia: et cum modo summa poena sit, comburi hominem; tum incredibilia, et diversissima tormentorum genera exercebantur. De quibus vide Cornelius Tacitum in Nerone, et ex nostris Eusebium in Hist. Eccl.

Scribit Damasus in vita Marcellini, supra 47 millia Christianorum intra unum mensem a Diocletiano interfecta: et Eusebius, qui tunc vivebat, scribit lib. VIII, cap. 6. hist. adeo fuisse omnes carcera plenos martyribus, ut nullus relinqueretur locus facinoris: in toto vero eo libro, tot martyrio coronatos refert infra biennium, ut impossibile sit, numerum eorum inire. Adde, quod multo plures Catholicorum heretici nostri occidentant, his decem vel quindecim annis, in Gallia et Flandria, quam Inquisidores combusserint hereticorum, forte in centum annis. Itaque non possunt appellare hanc persecutionem, sed potius bellum civile: nam, ut Augustinus docet ep. 80. ad Hesych., quando erit vera persecutio Antichristi, solius Ecclesiæ filii erit tribulatio: non autem eorum persecutoribus, sicut tempore Diocletiani, et superiorum Principum, Christiani solum caedebantur, non autem etiam caedebant.

Si vero persecutio dicenda est, Catholicæ potius eam patiuntur quam Lutherani et Calvinisti. Catholicæ enim sunt, qui ex multis provinciis ejecti, Ecclesiæ, patrimonio, et ipsam etiam patriam amiserunt, invadentibus nimis res alienas novis istius Evangelii Ministris, et ut diximus, et ex Com. Laurentii Surii, aliisque hujus temporis Historici cognoscet potest, multo plures Catholicorum furor Calvinistarum intra paucos annos absumpsit, quam heretici judicio Principum Catholicorum abnegate Fidei penas dedec-

(1) Matth. XXIV, 21. — (2) Apoc. XX, 7.